


ANN. XV. - N. 89

MENSE OCTOBRI ET NOVEMBRI

AN. D. MCMXLIV



PALAEASTRA LATINA

SUMMARIUM

- | | |
|--|-----------------------------------|
| Exercitationes scholares. | BILBAO, GOZZI |
| De Billardo. | AVENARIUS-MIR |
| Commercium epistulare. | |
| Nova et Vetera | MIR |
| Nuptiae Christi Regis. | RIOS |
| Juppiter. | GIRAL |
| Clarissimo atque humanissimo | |
| Dno. Eugenio D'Ors. | MIR |
| De erratione Georgii Pelleterii pueri. | HABERL |
| Per Orbem. | |
| Curiosa et Jocosa. | CASANOVES, FRANQUESA, |
| | GIMENO, SANJERÓNIMO, APERTE, ASPA |

Ordinarii et Superiorum permissu

Exercitationes scholares

VENATORIS INTERITUS

Tenerae aetatis erat Albertus, cum pater foede peremptus est a venatore nuper e manibus justitiae elapso. Mater summos labores ferens optime instituit puerum sub fide et moderamine cuiusdam praceptoris.

Non multo tempore post accurate suum munus Albertus cognovit et idem patris facultates administravit. Forte quadam die nemore versabatur cum sociis venatoribus persecutus damnam a canis exagitata. Intendit arma sed scopum non attigit Albertus. At confestim vox tristissima adpulit aures: «Deus, Deus meus, iactus sum!»

Nulla mora interposita in locum venit unde vox clamoresque exoriebantur et invenit senem cruento perfusum et animam exhalantem. Cucurrerunt omnes pariter in eundem locum, et Albertus coram sene in genua procumbens amplexu suo fovebat et ei obsecrabatur ut criminis veniam tribueret, excusans se jaculatum fuisse quin videret eum.

Tum senex, «nequaquam, inquit, tu a me veniam flagitatus es; venit tempus idoneum ut occulta pateant et omnia illustrentur quae sub uno pectore servavi et tenebris silentioque involvi. Ego sum ille venator, qui patrem tuum de medio sustuli vitamque illius violavi sub hac eadem queru. Ipse ultor tanti facinoris esse debebas; sed jam dolore interclusor quominus plura dicam...»

Continuo submissa voce adjecit miserabundus: «Deus justae ultionis, domum fac remissionis», et haec dicens expiravit. — RICHARDUS BILBAO, C. M. P.
e V cursu gymnasiali

HORRENDUM SUB BOLETO FACINUS

Totum diem pluit jamque nox appetebat, cum ranuncula caelum suspiciens sic locuta est propinquam suam:

— Pluviosum caelum diu nobis erit!
Interea formica, quam nimbus oppressit in silva e nundinis rediens;

— Vae mihi, inquit, foedavi vestem sericam. Mens mihi non fuit umbellam parandi.

Haec dicens, animadvertisit fungum, quo viso, laetitia micare cor suum coepit. Ad illum accedens, gryllum invenit cum lyra.

Tum illa reverenter:

— Licetne, inquit, ingredi?

— Ingredere potius, respondit gryllus. Pulsavi lyram in choreis et, nisi hoc asylum haberem, actum erat de me.

Vix illis sedentibus, accessit cicindela cum laterna, quae veniam petit ad noctem sub fungo transigendam, quia a recta via deflexerat tanta tempestate.

— Ingredere tu quoque; sic nobis lux erit.

Luce ductus scarabaeus fungum et ipse attingit et minime reveritus adstantium coetum, non admissus, sub fungo se recepit continuoque a pera extrahit cenam et comedere incipit.

— Per totum diem fodit, multo tempore post dixit, et magnam habeo famem; vobis vero non offero, quia mihi satis non est.

Inter tempestatem, limax, anhelitu intercluso, pervenit:

— Cucurri citius scolopendra et conficer lassitudine. Ferendae mihi erant litterae in civitatem, at hic noctem ducam, modo liceat per vos.

Postea formica rogavit gryllum ut lyram pulsaret, quod ille jucundissimo fecit animo. At vero, inopinato ac subito coetus diremptus est. Ille boletus erat sedes ranunculae, quae ipsa vespera ad amicam visendam se contulerat et tecum iterum petebat. Puncto temporis scarabaeus in terram cecidit; extinxit cicindela lucernam; et limax ipse toto pectore pavere coepit, quamquam frigidus illi sanguis erat.

Ranuncula impedit omnes asserens domum suam nequaquam esse vagorum refugium ac subdens: «Procul este, miseris; secus pereundum erit vobis...» Taceite omnes vestimenta complicarunt et alium refugium quaerere cooperunt, quippe quod adeo immisericorditer ejecti sunt et expulsi a diro scarabaeo.

RAIMUNDUS Gozzi, C. M. P.
e V cursu gymnas.

Villae Rosarii in Argentina.

Editorial GRAFICAS CLARET

Lauria, 5 - BARCELONA - Teléfono, 15013

PUBLICA: PALAESTRA LATINA

LA FIESTA SANTIFICADA

La hoja popular más amena e instructiva que se reparte en las Iglesias todos los domingos y fiestas de precepto del año.

Precio: 3 ptas el centenar

Variedad de libros.

Ultima obra:

MARAVILLAS DE FÁTIMA

por los Rndos. PP. Fonseca-Jiménez, S. J. - Precio: 6 ptas.

FÁBRICA DE MEDALLAS

CRUCES :: DISTINTIVOS

IN SIGNIAS :: ETC.

A U S I Ó

PROVENZA, 376

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis



Textos Palaestra

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

Apartado 1042. - Lauria, 5. - Teléfono 15013. - Barcelona

Para el Primer Curso:

Historiae Sacrae Compendium
(2.^a ed.) Texto, notas, vocabulario 4 pts.

Para el Segundo Curso:

Epitome Historiae Graecae
(3.^a ed.) Texto, notas, vocabulario 5 pts.

Para el Tercer Curso:

Ciceronis Epistulae Selectae

Solo texto latino 1 pta.
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

Caesaris de Bello Civili

Texto y notas 5 ptas.

Para el Cuarto Curso:

Ciceronis Pro Archia Poeta

Solo texto latino 1 pta.
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.

Ciceronis in Catilinam Oratio I

Solo texto latino 1 pta.
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.

Para el Quinto Curso:

Virgilii Aeneidos liber II

Solo texto latino 2 ptas.
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

Para el Sexto o Séptimo Curso:

Prudentii Carmina Selecta

(agotado)

Canto 1.^º de la Odisea

Texto y notas 5 ptas.

Primer Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial 3 ptas.

Segundo Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial 5 ptas.

Tercer y Cuarto

Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial
(en preparación)

R e p e t i t o r i u m

Libro de prácticas escolares para
las primeras clases de latín.
Contiene:

Programas, Vocabularios, Ejer-
cicios, Temas, Curiosidades,
Índices

Precio en simil tela 15 ptas.
en cartoné 12 >

P a l a e s t r a L a t i n a

Colección completa,
desde Enero de 1930
hasta Diciembre 1942,
en fascículos sueltos 100 ptas.

De próxima aparición:

Horatii Carmina Selecta

Texto, notas, vocabulario

Crispi Sallusti Selecta

Texto, notas, vocabulario

Canto 2.^º y 3.^º de la Odisea

Texto y notas

EN PREPARACIÓN OTROS TEXTOS

Descuentos especiales a librerías y, en pedidos de consideración, a Profesores y Colegios

PALAESTRÆ LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antclata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 12 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Premium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

DE BILLARDO

Cogita spondam robustorum pedum quattuor ex solido factam ligno. Huic imponitur tabula vel seculis lapidis vel marmorea, laevigatissima tamen, longa circiter duo metra, lata metrum et amplius. Ea tabula circumdatur linea lataque satis corona, quae coquitis mensae artissime adigitur et ita, ut, qua tangit tabulam, prostet in quinque sexve centimetra lacunatumque fere opus efficiat. Quae pars coronae tabulam aspicit ei cuneatum causum vel gummea massa praefigitur, versus tabulam fastigata. Postremo ipsa tabula et qua cingitur corona stricto vestiuntur panno viridi. Sic habes mensam, vel alveum, vel abacum illius ludi, quem hodie internationali nomine billardum nominamus.

Nam in ea mensa tres ponuntur pilae eburneae (quas posthac etiam globos vel sphaeras appellavero), quarum diametrum quinque fere centimetrum sit, quarum quae rubri coloris est, in media collocatur mensa, nunquam tangenda lusoribus; aquis intervallis in linea longitudinem alvei dividenti duae ceterae pilae ponuntur; et solent notari coloribus debita pilis, in lusus exordium, loca.

Itaque tota res in hoc est, ut ita altera utra exteriorum pilarum incitetur, ut utramque ceterarum feriat, quem binarium appulsum Itali, Hispanico nomine, *carambola*, eodemque Galli *carambolage* vocant. Qui hunc pilarum lusum instituunt principio dicunt, ad quem carambolarum numerum pervenientum esse videatur (et concorratur plerumque vicenis) et qui prior ex iis numerum attigerit, vicerit.

Sed videamus, quomodo impelli oporteat sphaeram billardariam. Nam etsi interdum i&tu palmae liceat cogere retrosum ire pilam, non tamen incitari solet manus, sed eo baculo, scipione, stimulo, assere, ea hasta, quam Galli *queue*, caudam, Itali, Germanicam mutuati vocem, *stecca* dicunt. Est autem ea hasta sexta ex ligno vel piri, vel fagi, vel fraxini, pone crassior, longa centimeta centum triginta fere; qua parte tenuior est, adglutinatur vel praefigitur apex, convexus corii orbiculus, quo pilae impulsiones efficaciores fiunt, praesertim si attrita corio creta est.

Itaque qui duo his se ludis accingunt, levatas ex receptorio hastas diligenter obterunt billardaria creta, et cui vel sorte, vel prima nominis sui littera obtigerit, prior pilam impellit. Supposita pro sustentaculo sinistra super abaco baculum, qua est tenuius, ponit inter pollicem et indicem ejusdem sinistram, et, alterutro saltem pede tangens terram, dextera suam pilam propellit hoc videns, ut veros faciat i&us;

nam si admoto scipione tetigerit tantum pilam, vel trudere coepit, exclusus erit tunzione ista, jure ferendi transeunte ad ludi socium. Sic autem collineabit, ut pila a se incitata perferatur vel simplici cursu ad unam, et ab illa ad alteram phaeram, vel sic, ut sua sphaera jaciatur contra eam quam *bandam* diximus (elasticam materiam — primis temporibus metallicae spirae latebant sub vestitu bandario —), unde repercussa feriat ceteras pilas, vel sic, ut, ubi agitata pila impaeta uni sit sphaerae, declinet ad bandam, inde rejecta sphaeram stringat alteram. Hunc autem i^ctum mihi placet *trabandarium* nominare, quia trans bandam effecta est ea, quam carambolam diximus, sicut illum i^ctum *antebandarium* vel *praebandarium* dicere institui. Carambola mihi erit vel ambitagium, vel dibolus, vel amphibolus. Et quoniam qui ambitagium effecit ferire pergit, quoad succedunt ambitagia, unusquisque hoc spectabit, ut sphaerae a se agitatae quam opportunissime ad novos dibolos disponantur. Neque admodum raro invenias lusores adeo exercitatos, ut sena, octona, dena ambitagia conserant. Ad eam dexteritatem camparandam plurimum refert, ut, sicut birota qui est assuetus sua vel diga, ultiro et nulla fere adhibita cogitatione machinam regit suam, tu pilam hasta inflectas tuam et quo oporteat, et quo velis declines, illum tribuas quem Galli «effet» id est effectum vocant sphaerae tuae: habilitas comparanda est inflexionum et declinationum.

Longum est hic doctrinam billardariam scribere; sed haec pauca accipe, ut videas, quibus vocibus latine ego reddi posse putem, quae alii (propria mensi paupertate thesaurum latinitatis) ne dici quidem latine posse affirmaverint, quaeque in vita privata eloqui consuerim, doctiora sua libenter relinquens doctioribus.

Cum tu hastae apice prenderis meditullium sphaerae tuae, et hanc impegeris bandae: quo angulo pila impaeta erit, antiquo optices de radiorum reflexione axiomaticae, eodem angulo inde repulsa resiliet. Tum vero maximopere interest, quem globi tui locum scipione tuo capias in tundendo, et ad quem locum alterius sphaerae globum mittas tuum. Nam si prenderis meditullium pilae tuae hastamque ad libram fere tenens tuam pilam ad alteram medium jactaveris, hac altera percussa tua pila consistet toto motu translato in illam alteram pilam.

Est altus i^ctus, quo pilam tuam prensam summam contra alteram medium jactas. Si hoc recte tu feceris, altera allisa procedet, tua subsequetur procedentem, sphaeramque feceris subsequam vel subsecuam. Si vero sphaeram tuam imam prensam contra medium alteram sphaeram jactaveris, tua sphaera illi impaeta ibit retrorsum; hanc pilam retractam dicunt, possunt retrogradam, retrariam, retortam resupinam dicere.

Secabis pilam, si tuam impuleris in alterum utrum latus ejus. Nam tum protunsa a te pila in certum angulum ire perget, ita pila captabit lineam per centrum ambarum pilarum euntem.

Itaque qui totas facere series ambitagiorum volunt, qui se esse valentes glriososque dibolorum esse cupiunt effectores atque magistros billardi, diligenter exerceant quas indicavimus artes, ut pilam suam, quo opus fuerit, impingant, trahant, fleant.

Non longe ab abaco in pariete suspensa esse solet tabula numeraria, calculariae persimilis. Tensis filis ferreis inseruntur globuli lignei, quorum ad sinistram trahuntur singuli pro singulis factis dibolis. Affixus ab imo canaliculus billardarium cretam tenet.

Hoc igitur lusu globorum contendere consuerunt singuli cum singulis, vel bini cum binis adversariis. Cum quattuor sunt, ita ludunt, ut binariis perpetua sit alternatio et ut suo quisque tundat ordine.

Lusum ipsum «billardum» non ego primus nominare intitui inscribens hanc elucubratiunculam de billardo. In Societatis Latinae fasciculis, qui nonnullis jam annis in urbe Monachio prodeunt, inter alia novarum rerum nomina lusum billardum inveni; minimeque meae aures ab eo vocabulo abhorrent. Nam semper existimavi licere etiam in linguam latinam introducere cognominationes, quae receptae in cultiorum nationum linguas quasi internationales essent effectae. Itaque, si qui billardo contenti billardarium lusum, billardarium pilam, cretam, tudiculam, facere velint, suo mihi facere videntur jure neque ut proditores notandi latinitatis.

Sed si quid nominis desideras latino fonte graecove haustum —et revera ab amico nuper id interrogatus sum— rei novae, saeculo sextodecimo ortae, saeculo undevigesimo in Germaniam ex Gallia adveclae, nomen ego novum componam ex pila et ex tundendo: mihi billardus lusus «pilitudium» erit hoc magis, quod *bille* Gallorum pila latinorum est. Si graece malueris «sphaerothisin» nominabo. Ubi haec admiseris, facilis erit cognitio cum «pilitudiarium mensam» audieris, vel «tripilarium» quoniam tribus pilis. Quin etiam «tudiculari» audeo dicere, sicut «jaculari» recte dicimus, quo verbo intellegi volo tudicula miscere me velle in abaco pilitudario pilas.

* * *

Hic oculis subjiciendam duxi tuis tabulam vocabulorum, quibus facile quae supra a me dicta sunt de billardo recordareris, quibusque te invitarem, ut quae forte meliora et significantiora novisses, in medium proferres.

<i>Abacus billardarius</i>	vocant. — <i>causuceus</i> : ex <i>causucco</i>
<i>ambitugium</i> , sicut est <i>con>tagium</i> , liceat fieri <i>ambi-tagium</i> h. e. <i>ambarum sphaerarum tactus</i> .	<i>factus</i> . <i>declinare</i> (<i>pilam</i>)
<i>amphibolus</i> : amborum ictus (globorum).	<i>declinatio</i>
<i>antebandarius ictus</i>	<i>dibolus</i> : duorum ictus (globorum)
<i>banda</i> : ora mensae billardariae	<i>diga</i> : automolus carrus, autocinetum
<i>bandarius</i> (<i>banda</i>)	<i>elastica materia</i> (vox elasticitatis meo iudicio in linguam Latinam admittenda est, siquidem nullam invenias quae magis conveniat illi notioni)
<i>billardarius</i> (<i>billardus sc. lusus</i>)	<i>hasta</i>
<i>billardus</i>	<i>ictus altus</i>
<i>birota</i>	<i>inflexio pilae</i>
<i>calcularia</i> (<i>tabula</i>)	<i>lacunatum opus</i>
<i>canaliculus</i>	<i>lapis sectilis vel fissilis</i>
<i>carambola</i> (<i>vox hispanica</i>)	<i>meditullium</i> : centrum
<i>causuccum</i> (ori Latinorum adaptata vox illa quae est Italica: cauciū, Gallis: caoutchouc, Germanis: Kautschuk, gummi elasticum ductum ex arbore siphonia elastica, quam Indi causciū	<i>numeraria</i> (<i>tabula</i>)
	<i>pilitudium</i>
	<i>pilitudarius</i> (<i>pilitudium</i>)

praebandarius (*ictus*)
receptorium (*vas hastarum billardaria-*
rum)
retrograda (*sphaera*)
retorta (*sphaera*)
secare (*pillam, vel declinare*) ubi etiam
rectius decussare dixeris
sphaerothisis nomen confectum ex *σφαιρα*
 et ex *ῳδησιν*
subsecua, subsequia sphaera
trabandarius (*ictus*)
tripilarium (*billardaria mensa*)

trisphaeristerium (*billardaria mensa*)
 tudes, is, nomen feminini generis sicut
 nubes, is. Haec forma feminina certissime est in tudicula. Nam si Co-
 lumella Senecae aequalis, tudiculas
 scripsit, hae non prognatae erant ex
 tuditibus, quos tertio post Christum
 saeculo habet Festus grammaticus.
 Essent enim saltem tudiculi.
 tudiculari.

ANDREAS AVENARIUS.

Primo, suavissime P. Avenari, ut Deus te sospitem servet in tot tantisque rerum perturbationibus nos et nobiscum omnes PALAESTRAE LATINAe lectors ex imo precamur. Faxit Deus ut post tam horrendum bellum nobiscum colloqui in PALAESTRA rursus valeas.

Tuam de billardo disquisitionem —ne tot mensibus in chartariis premeretur inclusa—, edendam constitui; et quoniam alias (in PAL. LAT., n. 80, p. 68) lectors invitasti ut interrogationes ponerent et dubia quo PALAESTRAM nostram scholam luctandi reapse efficeremus, quaedam tibi significanda censui.

Pilitidium tuum magis placeret quam billardus, pro quo in SOCIETATE LATINA (1937, 3, p. 33) Cl. H. Lis proposuit: ludus globorum eburneorum, et P. A. González in PAL. LAT. (6, p. 89; 27, p. 133) ludum tudicularem vocaverat.

Carambola nimium bispanicum sermonem nobis redolere videtur; quare collisionem cum PALAESTRA (n. 59, p. 10) non admittamus vel forte aptius dibolum tuum, ut tribulum (tribulum), peribolum, cet?

Cur bandam¹ innovamus cum oram habeamus et orarius in Plinio pro bandario? Trabandarius, antebandarius vel praebandarius substantivo ante oram, trans, post oram aut adjectivo praeorarius, transorarius nonne rectius substituenda videntur?

Pro subsequia, subsecua quare non subsequentem dicamus, nonne idem est sensus? Dixerat enim clmus. Lurz: «vitanda imprimis sunt vocabula quamvis recte facta, si jam antiquitus existant vocabula idonea» (SOCIETAS LAT., 1936, 4, p. 52).

Sphaerothisis, trisphaeristerium minus probanda videntur; tripilarium autem non adeo displicet.

Tandem verbum tudiculare aptissime a te erutum ducimus.

Tuam, benignissime P. Avenari, indulgeas veniam rogo huic interpellatori qui his minusculis rebus tibi molestiam attuli; quod autem ad me attinet ut emendationes proferas enixe a te postulo —ea qua es sollertia in rebus latine pertractandis— de his quae sub indice Nova et Vetera in posterum lectoribus producenda constitui.

Ut de te citius ad nos gratissimi nuntii adveniant, vehementer exspectamus.

Interim, plurimum valeas.

*Reverentiae tuae additissimus in Dno. JOSEPHUS M.² MIR, C. M. F.
 Barbastri, calendis octobribus.*

¹ Deest vox in Ducangio, et *bandum*, *bandellus* sufficere non videntur ut *bandam* effingamus.

Commercium epistulare

Henricus Arredondo, S. J. — R. P. Josepho M. Mir, C. M. F., salutem.

Cum ex villa redirem, quo paulisper otandi causa secesseram, duo exemplaria mihi praesto fuerunt PALAESTRAE LATINAЕ, in quibus, praestantiore loco egregie dispositam meam epistulam meique discipuli ostentabatis carmen. Quo adspectu laetitia simul adficiebar non levi, tum etiam vos animo prosequabar quam gratissimo. Videbam etiam vos in magistri vices merito successisse paululumque rem inmutasse ut vera constaret syllabarum quantitas, ita tamen ut, quoad fieri posset, poëtae verba adservarentur. Placuit itaque, tametsi paulo aliter ipse rem castigaram ut, ex nova scriptione quam mittebamus simul, videtis. Quod vero in voce Iberia i breve produci videatur, necessarium non putabam, cum apud graecos, ii qui primi ejusmodi versus conditos usurparunt, plerumque, apud latinos aliquotiens trochaeo pro spondeo secunda sedes optimo jure concedatur. — Numeros poscebatis ad canendum, eosdemque per omnem Matritensem mercatum anquirendos poscendosque jussimus; sed frustra, tam est difficilis et invia omnis cum itala gente communicatio! Erat tamen apud nos discus ad grammophonum, ex quo quidam musices studiosus exprompsit, satis apte ad usum et cantum, ad prelum vero publicumque, minime.

Cum magisterii munere deberem me Superiorum jussu abdicare, injungebam tamen uni de discipulis ut quem laborem de romanae domus natura et partibus jam nunc in manibus habet, quemque aptissimis inlustravit delineationibus et luculentissimis, eum vobis politum et comptum edendum obferat.

Me semper meosque alumnos vestri vestraeque Congregationis, ut sumus sic habetote devotissimos. Vale.

Dabam ex Aranjuez, perendie Kal. Aug.

Josephus M. Mir, C. M. F. — Rdo. P. Henrico Arredondo, S. J., salutem

Quid socio et amico nostro R. P. Henrico acciderit, quid vati qui egregio et docto carmine Romae laudes et gloriam cecinerat, saepius mecum cogitaram praeteritis hisce mensibus, cum tuae litterae mihi sunt allatae post redditum a conventu seu curriculo ubi de bonis litteris, graecis et latinis actum est.

Quod de trochaeo illo significas in voce Iberia («usque Iberiam retulit Camenæ») quam nos more Graeco Ἰβριπίαν legimus, i producta, sic factum est ut Horatium sequeremur, principem romanae lyrae, qui quidem trochaeum ante dactylium semper in spondeum vertit, quamvis graeci et Catullus trochaeum retineant. Quid tamen? —libenter tibi acquiescam et cum Catullo et ipse Iberiam legam.


De missis ad nos numeris musicis tibi ac fratri tuo musices studioso gratiam debemus praeclaram.

Discipuli tui laboreu cum delineationibus de domo romana libenti animo acceptimus atque edendum curabimus.

Te a musis studiisque latinis discedere vehementer dolemus. Nos ama, ut facis, sociosque tuos ad amorem latinitatis stimulis concita. Vale.

Barbastro, tertio idus Septembres

NOVA ET VETERA



PICTURA 1.^A

SCHOLA — LYCEUM — AULA

I. — DESCRIPTIO GENERALIS

1. — Haec tabula aulam repraesentat in lyceo. In hac aula sunt octo mensae¹⁸ et octo scanno³²; in unoquoque scanno sedent tres alumni; magister⁷ vero super sellam in cathedra⁶ sedet.

2. — Ad laevam cathedrae armarium vitreum¹⁴ invenitur; ad dexteram autem est abacus¹ cum pannulo² et creta.³ Supra cathedram tabulae murales^{9, 11, 12} et tabula geographica¹⁰ pendent.

3. — Non omnes alumni sedent in loco¹⁷ suo. Johannes⁴ stat ad abacum; habet pannulum et delet geometriae figuras; Petrus vero stat prope cathedram; colligit labores⁵ et eos ad magistrum defert.

4. — Hic magister est professor linguarum vivarum, docet alumnos loqui, legere, scribere linguam exteram (germanam, anglicam, italicam, russicam).

5. — Aula scholae est valde spatiose et clara; in intimo est ampla fenestra, duae portulæ⁷⁸ et janua vitrea quæ aërem et lucem præbeant. Haec aula non est frigida, quia in medio ad eam calefaciendam est laconicum⁴⁶ satis aptum cum tubu-

10. ⁴⁵ Ad parietem autem fixae sunt complures perticae, ⁵⁸ ex quibus pendent pilei et amictus discipulorum.

6. — Horologium ⁶³ signat horam nonam cum quinque minutis. Recreatio ⁷⁶ modo finita est et iterum incipit schola. Recreatio in cavaedio ⁷⁵ habetur; [ibi] videntur aliquos alumnos ludentes, eisque magister repetitor ⁷⁴ invigilat.

7. — In cavaedio videmus praeterea complures personas, scilicet, inspectorem, ⁷³ provisorem, ⁷¹ censorem. ⁷² Inspector scholas inspectat, provisor regit lyceum, censor vero studiis invigilat. Quarta persona est janitor, ⁷⁷ [qui] brachio codicem supportat ut notet absentes.

8. — In penitiore cavaedio gymnastici apparatus ⁷⁰ et officina ad opera manualia ⁶⁹ inveniuntur.

Ad dexteram tabulae pictae, musices et graphicæ aulas prospicimus.

II. — SUBTILIOR DESCRIPTIO

9. — Alumni primi scamni, ad dexteram cathedrae, sunt Henricus, Carolus, Stephanus. Henricus est valde attentus et laboriosus, magistrum audit. Super mensam habet codicillum, ⁴⁸ librum, ⁴⁹ vocabularium ⁵⁰ et calamarium, ⁵¹ ejus liber plures paginas habet; unumquodque caput complures paragraphos continet et unaquaque linea magnum verborum numerum. Vicinus ejus Stephanus ⁵⁴ est studiosus, notat in codicillo lectionem in proximam vicem; bonam habet scripturam, ejus vero liber est clausus, neque amplius quam tegumentum ⁵⁷ videmus. Ad latus ejus est circinus. ⁵⁶

Carolus ⁵³ vero librum habet in manu, illumque aperit ad recolendam lectionem. Atramentarium, ⁵⁵ sicut quisque alumnus, ante se habet; estque dicto audiens.

10. — In proxima mensa sunt Aloisius, Antonius, Paulus. Aloisius lectionem recitat ⁵² atque interrogationibus magistri respondet. Antonius ⁵¹ vero est mente sevocatus, muscas enim captat neque scholam sequitur. Magister eum reprehendit et vituperat; saepe etiam punit. Paulus ⁵⁶ autem est bonus comes, amabilis et officiosus, estque valde attentus.

11. — Pone Henricum Georgium ⁵⁰ invenies; non est malus puer, at garrulus est, dissipatus, inquietus; ejusque levitas et inobedientia turbam facit in aula atque saepe severum monitum meretur. Ejus codicillus adversariorum ⁵⁵ sordidus est, in quem atramenti maculas calamo impegit; idcirco semper gummi deletile ⁵⁶ in manibus habet; ejus chartularium ⁵³ est discessum, quia est valde neglegens. Cur secum portat graphium ⁵⁷ ad scholam linguarum vivarum?

Edmundus, ⁵⁹ ejus vicinus, eum non amat. Ille quidem non nihil piger est, sed tacitus et tranquillus permanet; neque fabulatur, sed fabulas libri — ad lectionem — legere mavult potius quam attendat. Tertius denique alumnus hujuscce scamni est Aloisius, ⁴⁰ qui est studiosus; super plagulam chartae purae scribit; habetque ante se chartam bibulam. ⁴¹

12. — Alumni alterius scamni, ad laevam professoris, sunt admodum pueri. Primus, parvulus Aemilius nescit adhuc recte scribere; defert lapidem seculilem, ⁴²

stylum lapidis sectilis, spongiam.⁴³ Juxta eum sunt Augustus et Bernardus.⁴⁴ Hic recte laborat, sed ejus habitus negligentior est.

13. — Post eos, tres cessatores inveniuntur. Albertus lectiones non discit. Jacobus⁴⁷ dormitat, et non attendit. Ejus dissidia monitiones, immo et punitiones in eum attrahit. Christianus⁴⁸ denique levior est. Male se gerit ac nullam contentio- nem adhibet ut se corrigat.

14. — Eorum vicini, contra, sunt moderati. Ernestus⁵¹ ordinem et modum amat; regulam⁵⁰ et graphidem⁴⁹ semper adhibet. Externus est. —Franciscus⁵² au- tem est internus atque trabea induitur; cenat ac dormit in Lyceo. Optimus est soda- lis. Mauricius graphidem cultello⁵⁶ acuit, curiosus est. Secum fert omnes libros, grammaticam,⁵⁵ commentarium,⁵¹ chartariolum,⁵³ ejusque chartarium⁵⁷ humi est, pone eum.

In intima aula duas mensas boni alumni¹⁹ obtinent.

15. — In graphices aula sunt pulchra prostypa e pariete pendentia et lam- pas⁶² cum radiaculo e teſto suspensa. Deformationis magister⁶⁰ patientissimus est, alumnorum delineationes⁶¹ corrigit eosque docet bustum⁵⁹ juxta naturam exprimere.

16. — Aula musicae magnae esse utilitatis videtur. Ibi musicam recitare, gammae notas⁶⁷ (*do, re, mi, fa, sol, la, si*) musice canere in pentagramma scriptas, claves musicales internoscere, festivos modulos canere discitur. Musicam in pluteo⁶⁵ collocant. Unus ex alumnis clavichordium⁶⁴ pulsat et musicae magister⁶⁶ modum⁶⁸ dicit.

17. — Angulum officinae laborum manualium⁶⁹ prospicimus ubi pueri ligna runcinare et ferrum limare discunt. Haec officinia non est in omnibus Lyceis.

18. — Mathematicorum professor discipulis geometriam, arithmeticam, calcu- lum, sistema metricum docet. In abaco¹ praecipuas geometriae figurae videmus: circulum,^{a)} quadratum,^{b)} triangulum,^{c)} lineam.^{d)} Rationem quoque videmus: non est summa, neque deductio, nec multiplicatio, sed divisio.^{e)}

19. — In tabula picta systematis metrici⁹ perspicimus: metrum^{a)} libram^{b)} cum ponderibus, litrum,^{c)} decalitrum,^{f)} decilitrum, metrumque cubicum.^{d)} Discipuli historiae naturali¹¹ (zoologiae,^{a)} botanicae,^{b)} geologiae,^{c)} et historiae etiam vacant.

In armario, physicae¹⁵ et chemiae¹⁶ instrumenta invenies. Supra armariun sphaera,¹⁴ conus, globus terrestris¹³ prostant.

Supra picturas tabula geographica¹⁰ pendet, quinque mundi partes exprimens: Europam,^{g)} Asiam,^{e)} Africam,^{f)} Americam,^{ab)} Oceanidem^{h)} et duos magnos oceanos Pacificum^{e)} atque Atlanticum.^{d)}

VOCABULARIUM

pičtura, tabula (pičta), cuadro, tableau.	10 + tabula geographica, mapa, carte géographi- que.
32 scannum, i, n., banco, banc.	5 labor, oris, m., trabajo, composición, copie.
8 sella, sedile, is, n., silla, chaise.	78 + portula, ae, postigo, vasistas.
14 armarium vitreum. armario con vidrieras, vi- trina, armoire vitrée.	46 + laconicum, i, n., estufa, poêle.
1 abacus, i, m. pizarra, tableau noir.	45 tubulus, i, m., tubo, tuyau.
2 pannulus, i, m., paño, torchon.	58 pertica, ae, perchba, portemanteau.
3 creta, ae, tiza, claión, craie..	+ pileus, i, m., (sombbrero), gorro, coiffure.

- 1 amicus, us, m., *abrigo*, manteau.
 63 horologium, ii, n., *reloj*, horloge.
 signare, *marcar*, marquer.
 + minutum, i, n., *minuto*, minute.
 75 cavaedium, ii, n., *patio*, cour.
 + repetitor, oris, m., *pasante*, répétiteur.
 77 janitor, oris m., *portero*, concierge.
 + codex, icis, m., [regesta, orum, n. pl.], *registro*, registre.
 79 gymnasticus apparatus, us, *aparato de gimnasia*, (gimnasio), appareil de gymnastique.
 subtilis, e, *detallado*, détaillé.
 28 codicillus, i, m., *cuaderno*, cahier.
 30 vocabularium, ii, n., *diccionario*, dictionnaire.
 31 + calamarium, ii, n., calamaria, theca, *plumero*, plumier.
 paragráphus, i, m. f., *párrafo*, paragraphe.
 27 tegumentum, i, n., *cubierta*, couverture.
 26 circinus, i, m., *compás*, compas.
 recolere, *repasar*, repasser.
 25 atramentarium, ii, n., *tintero*, encrier.
 mente sevocatus, *distraido*, distract.
 comes, itis, m., *compañero*, camarade.
 officiosus 3, *servicial*, complaisant.
 garrulus 3, *hablador*, bavard.
 dissipatus 3, *travieso*, dissipé
 inquietus 3, *turbulento*, remuant.
 levitas, atis, f., *ligereza*, légèreté.
 turbam facere, *ocasionar* desorden, occasionner
 du désordre.
 adversaria, orum, n. pl., *borrador*, brouillon.
 calamus, i, in., *pluma*, plume.
 + gummi (indecl) *deletile*; *goma de borrar*,
 gomme à effacer.
 33 + chartularium, ii, n., *cartera*, serviette.
 discussus 3, *rasgado*, déchiré.
 37 + graphium, ii, n., *lapicero*, porte-crayon.
 fabulari, dep. *charlar*, bavarder.
 potius quam, *en lugar de*, au lieu.
 plagula, ae, *boja*, pliego, feuille.
 charta, ac, *papel*, papier.
 41 charta bibüla, *secante*, buvard.
- 42 + lapis sectilis, *pizarra*, ardoise.
 43 spongia, ae, *esponja*, éponge.
 habitus, us, m., *porte*, tenue.
 cessator, oris, m., *bolgazán*, paresseux.
 levis, e, *ligero*, léger.
 se gerere, *portarse*, se conduire.
 nullam adhibere contentionem, no hacer nin-
 gún esfuerzo, ne faire aucun effort.
 moderatus 3, *pacífico*, sage.
 modus, i, m., *regularidad*, régularité.
 50 regula, ae, *regla*, règle.
 49 graphis, idis, idos. f., *lápiz*, crayon.
 + trabea, ae, *uniforme*, uniforme.
 56 cultellus, i, m., *cortaplumas*, canif.
 acuere, *bacer punta*, cortar, tailler.
 curiosus 3, *cuidadoso*, soigneux.
 54 commentarium, ii, n., *cuaderno de apuntes*,
 cahier de notes.
 53 + chartariolum, i, n., *carpeta*, sous-main.
 57 + chartarium, ii, n., *cartera*, sac de classe.
 graphicæ, es, f., [deformatio, onis, delineatio],
 dibujo, dessin.
 próstypum, i [écotypum] m., *modelo*, modèle.
 * radiaculum, i, n., *pantalla*, ahat-jour.
 59 bustum, i, n., thorax, acis, m., *busto*, buste.
 + gamma, ae, f., *escala*, game.
 ♫ musicæ canere, *solfear*, solfier.
 ♫ pentagramma, ae, f., *pentagrama*, portée.
 ♫ clavis musicalis, *clave*, clef.
 modulus, i, m., *melodía*, mélodie.
 65 pluteus, i, m., *pupitre*, pupitre.
 64 * clavichordium, ii, n.. *piano*, piano.
 pulsare, *tocar*, jouer.
 68 modus, i, m., [metrum, i, n.] *compás*, mesure.
 ducere, *llevar*, battre.
 angulus, i, m., *rincón*, coin.
 ratio, onis, f., *operación*, (aritmética), opération.
 summa, ae, *suma*, addition.
 deductio, onis, f., *resta*, soustraction.
 9 libra, ae, *balanza*, balance.
 chemia (chymia), ae, *química*, chimie.

EXERCITATIONES

Dic mihi. puer, aliqua quae in tabula picta vides. Quid facit magister?

—Sedet in sella. docet pueros, explicat lectorem, monet garrulos, corrigit inquietos, punit inobedientes. Brachium extendit, indice alumnū signat; ille interrogat, pueri vero quæsitis respondent.

Quam linguam alumnos docet hic magister?

—Linguam latinam.

Quid faciunt pueri?

—Non nulli explicationibus magistri animo intendunt eique respondent, alii impense lectori vacant, alii dormiunt, alii vero inquieti, garruli, dissipati sunt.

Tu quid facts?

—Sto ad abacum, sumo cretam, panulum, circinum, regulam: quadratum

et circulum effingo, rationem diduco. Abacum detergeo, depono spongiam, pannulum, cretam, vado ad locum meum, ac tandem sedeo.

Suntne alii professores in hac pictura?

—Quidem, sunt professores musices et graphicæ seu delineationis.

In aula graphicæ quid vides?

—Pulchra próstypa e pariete pendentia et lampadem electricam in medio suspensam quae totam aulam illuminat.

Et quid docet musicæ magister?

—Docet musicam recitare, notas musicæ canere, singulas claves dignoscere, modulos cantare, modum ducere, clavichordium pulsare, cet.

JCSEPHUS M.^a MIR. C. M. F.

NUPTIAE CHRISTI REGIS

(Psalms: *Eructavit cor meum.* - 44 Vulg., 45 Hebr
Versio rhythmica textus hebraici)

TITULUS: Directori Scholae. Super melodiam Schoshannim. (Psalterium) filiorum Core. Maskil. «Cantus amoris».

I

*Fausta corde e meo verba
funditus ebulliunt:
dico meum dum poema
dulce Regi caelitum
lingua currit mea ut scribae
calamus gnavissimi.*

V

*Tuus unus stabit thronus
fine in aeva nescia:
aequitatis suntque sceptra
sceptra tui imperii:
diligis et justus rectum,
odis ac nequitiam.*

IX

*Prona cade coram Ipso
tuus est nam Dominus:
offer Ipsi laeta Tyri
lecta quaeque munera.
Cupiunt jam tuum vultum
optimates populi.*

II

*Hominum praefulges forma
omnium pulcherrimus:
scatet vena gratiarum
e tuisque labiis:
usquequaque prorsus unus
benedixit te Deus.*

VI

*Hocce propter Deus unxit
te tuus, o mi Deus!
gaudii supremi unguento
prae tuis jam sociis:
myrrha tua vestimenta
cuncta sunt et aloes.*

X

*Tota pulchra, Regis Nata,
intimo in cubiculo:
vestimenta ipsius gemmae
aureis cum fimbriis:
sericos super tapetes
ad Regem perducitur.*

III

*Ense tuo, fortis heros,
ad latus accingere:
ejal valor! aequitare
cinctus almo robore
veritatem defensurus
simul et justitiam.*

VII

*Ex eburneis anhelant
corda te palatiis:
properant ad te vel ipsae
ultra regum filiae:
stat Regina ad tuam, tecta
Ophir auro, dexteram.*

XI

*Comitatus puellarum
ejus in servitio
uni hilaribus Reginae
complicet obsequiis.
reserantur ipsis portae
in Regis palatium.*

IV

*Praevalides tua robusta
praepotenti dextera:
ut tuaeque sunt sagittae
contra gentes validae!
territos ut Regis sternunt
inimicos populos!...*

VIII

*Audi, filia, et inclina
cordis aurem protinus:
patris oblivisci fas est
tecta, et ejus populum:
captus est nam tui vultus
Rex decore amabili.*

XII

*Nunc tuorum loco patrum
sint tibique filii,
quos in omni terra summos
principes constituas:
teque laudent in aeternum
omnes una populi.*

RQMANUS RIOS, O. S. B.

J U P P I T E R

Nonnulla seire de *Mythologia* seu de deorum fabulis non tantum utile sed necessarium putamus iis qui tum graecis tum latinis litteris incumbunt. Porro classici omnes scriptis sive consulto sive obiter divinitatum interserunt fabulis plurimasque ad eas significationes.

Cum plurimos apud gentes inveniamus deos, tantum de praestantioribus agemus. Hodie igitur sermo sit de Jove.

Saturnus ex Rhea vel Cybèle Jovem suscepit quem mater a patris voracitate liberavit¹ et infelicitis suae prolis miserta confugit ad tenerae prolis substitutionem. Huius vice rupes infantilibus pannis involutas obtulit Saturno, qui, nihil maligne suspicatus, repente eas devoravit. Qua simulatione a materno amore excogitata, Rhea adsecuta est Jovem subtrahere, quem Juno per pastorem quemdam Cretam detulit. Qua in insula plures nutrices habuit: Amaltheam, Vestam, Melissam, Cyanosuram, Capram et Helicem.

Saturnus cum dolum detexisset inquirere coepit ubi Juppiter lateret; sed ne infantis vagitus audirentur Rheae Sacerdotes (Corybantes) cymbalis, tympanis ferrarumque clavarum strepitu eos intercludebant.

Omnibus cautionibus nequidquam adhibitis Titan perfidiam animavertit qua esset deceptus, et cum Saturnus frater imperio abdicare nollet, ei bellum indixit; sed nihil adeptus est, nam Saturnus filii sui Jovis subsidio Titanem omnibus in proeliis debellavit, quo sibi firmavit imperium. Nihilominus Saturnus ad breve tempus jucundissime triumpho est inmoratus, quia cum Jovi nota esset sua infantis historia, diu gessit bellum cum patre quem demum superavit atque violenter de caelo extrusit; Saturnus vero in Italiam immigratus, a Jano rege benigne exceptus est. Refugium quo se recepit Saturnus posthac *Latium* nuncuparunt.

Juppiter, rege Olympi devicto, se constituit caelorum ac terrae imperatorem, urbem regiam faciens ipsum Olympum. Cum imperium nimis spatisum esset, illud divisit inter fratres Plutonem et Neptunum, sibi caelum retinens: alteri infernum reliquit, alteri maria. Iratus Titan, frater Saturni, et hunc in Italia latitantem ulcisci volens, cum filiis suis Titanibus bellum paravit contra Jovem qui talem temeritatem fulminibus punivit, eosque in Tartara dejecit.

Praeterea aliud bellum suscepit cum Gigantibus qui deos ita terruerunt ut, mutatis induviis et in aliud conversis, ex Olympo fugerent ac delitescerent; sed paulo post, viribus receptis, iterum dii pugnaverunt, duceque Jove cui arma aquila suppeditaret, magno Gigantes debellarunt triumpho.

Juppiter, deorum maximus, summo colebatur honore; fulminibus, ventis, pluvias praearat, deusque sapientiae et justitiae est habitus.

Per pauca antiquitus fuere loca ubi Jovis cultus non inveniretur. In Graecia, potissimum Olympiae Juppiter adorabatur magnifico templo in ejus honorem erecto;

¹ Saturnus ab oraculo monitus est si filios liberos educasset ab eis imperio expoliatum iri; atque id metuens omnes devorare deinceps; sic fecit cum Orco seu Plutone quem illico evomit ac sub Tartaro dejecit, dein cum Neptuno quem in undas detrusit.

ibidem celeberrimi ludi quinto quoque anno ineunte habebantur. Romae deorum Pater templum omnium antiquissimum nomine Capitolini¹ habuit dedicatum. Ad Jovis cultum institutum est anno 364 Capitolinorum collegium; ibi comitia habebantur atque ritus sacri celebrabantur et ludi saeculares. Praeter hoc templum alia consecrata ei erant, uti Jovi Servatori, Feretrio, Libertatis, Statori, Tonanti, Victori..., eique sacrificabantur bos et juvencus, cet... *Ludi* in honorem Jovis magni et maximi *Romani* dicebantur. Etiam Juppiter colebatur, volventibus annis, in Syria, Palaestina, Gallia, Germania, Hispania, Africa.

Varie repreaesentatur Juppiter, sed communiter in solio eburneo sinistra manu scaeptrum tenens, dextera fulmina conjiciens habensque in capite argenteam coronam; saepe cum Gigantibus quos pede conculeat; aliquotiens cornua habet. In nummis diversimode sisititur: in parte aversa ejus caput, in adversa cum fulminibus et aquila adparet. Uno verbo dicam: plurima sunt priscae artis monumenta quae juxta diversa Jovis nomina et epitheta, eum repreaesentant ita ut «tot sint Jovis monstra, quot nomina».

J. M. GIRAL, C. M. F.

Clarissimo atque humanissimo Dno. Eugenio D'Ors

Inter socios et lectors nostros qui cupide PALAESTRAM LATINAM legunt aut in ea vires exercent, sunt amici, quos nomine tantum novimus, qui tamen amore nos prosequuntur vero atque PALAESTRAE notitiam late diffundunt. In his computandus certe Clmus. Dnus. Eugenius d'Ors qui in *novissimo* suo *Glossario* folii¹ diarii ARRIBA sermonem de commentario nostro intulit.

Quid ergo? hortationes monitionesque amici maxime facimus, eique paucis respondemus.

1) Lingua latinam rectissime non mortuam, sed vivam judicasti: id probat Mater Ecclesia, id libri qui adhuc latine eduntur, id ephemerides latinae, id tot clarissimi viri optime de latinitate meriti, qui, —ut P. Avenarius, de rebus tam a sermone latino prima fronte dissonis, ut in Pelleterii narratione, ut in ludo billardo—, sollerter disseruerunt.

2) Quis fuerit, qui talem oblivionis commiserit culpam nescimus, vehementer dolemus veniamque a te supplices poscimus: tuamque benevolentiam, qua PALAESTRAE chartae inopiam sublevasti, maxime amamus, ac de accepto a te beneficio et de illo suavissimo studio quo nos nostraque prosequeris, quam maximas gratias referimus.

3) Scias tamen velim, humanissime Dne. et omnes lectors tecum, fasciculos PALAESTRAE, in quibus hoc anno selectae *T. Livii Historiae (Viñetas históricas)* pro-

¹ Iovis praeceps cultus in Capitolio inveniebatur ubi aderat trias fama nobilis (Juppiter, Juno et Minerva). Jovem Capitolinum Romani vocabant Optimum Maximum.

² Templum Jovis Statoris erexit a. 458 ab U. c. Ut fert plurium auctorum opinio Romulus Jovem nuncupavit Statem quia milites suos fugientes stare fecit in pugna contra Sabinos.

dierunt, quandam donationem esse sociis tributam, nam *alternis mensibus PALAESTRA* edebatur; ceterum le^ttores teque monemus sub prelo jam esse luculentas Rdi. P. Mesa notas, quibus *T. Livii Historiae* illustrantur.

4) De tua illa sententia bonum aequumque esse hodiernum sermonem latinum medium viam ingredi seu «Caesarem balteum sibi aliquatenus discingere oportere»: ea mens nostra est ut puritatem in struendis locutionibus quaeramus, in verbis autem plurima admittamus quae temporibus classicis ac sequentibus prorsus incognita fuerunt.

5) De illis admonitionibus quas *post datas litteras* inscribis, pariter nostram eamque maximam mereris gratiam. Cum illae edentur «centum meliores *post datas litteras* commercii epistularis», tuas iis libentissime adjungemus...

6) Quod mones ut non solum paedagogiae incumbamus, sed maiores ut tribuantur partes humanismo ac penitiori litterarum studio: id quidem probum optimumque ducimus et alias factum et deinceps, Deo favente, le^ttionibus —videlicet— Rdi. P. Danielis Ruiz, perficiendum. At semper id fieri non valet in paucis pagellis, quibus commentarius noster premitur. Quod si compositionibus alumnorum locus datur, eo consilio fit —non parsimoniae indulgentes—, sed, ut adulescentes voluptatem capiant atque suas seriptiones typis expressas videntes, majore alacritate et amore incendantur.

7) Alteram adnotationem de optimi judicii sanitate et de apte et pulchre ornanda ephemericide nostra probamus. —Sed cum tot sententiae enascantur cum de judicio proferendo agatur tuamque sollertia et judicij probitatem dignoscamus, qua re negotium amico cuidam tuo non committis qui rem exsequatur arbitratu tuo perfectam? Tunc certe majore de causa de tua et nostra PALAESTRA loqueris, atque tuam benevolentiam novo gratoque beneficio cumulatam celebrabimus.

8) Extremum tuum optatum Deus bene vertat, tuoque Octavio salutem dices atque verissimum dixisse referes: «id omnium caput esse ut praeceptum dominicum exsequamur»...

9) Illud mihi restat—atque bona pace tua dixerim:—satis superque de cognomine nostro disceptatum est atque scribendum Claretiano censemus; sic nominamur, sique in PALAESTRAE LATINAЕ numeris 69-70 probatum invenies.

Amico nostro perillustri Dno. Eugenio d'Ors grato animo salutem plurimam adscribimus.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Barbastri, in Osca provincia, quarto Kal. octobres.

P. S. Quibus litteris, benignitate plenis, ad te respondeam, vides. Amico vero nostro rogamus ut si quid ipse rescribat ad nos mittere velit, idque, in primis si publice edatur, perspicuo sermone nitidisque sententiis pateat; non enim defuerunt qui, ex dubio sermone, impugnatorem et derisorem non, autem amicum, cl. scriptorem vocaverunt. Quibus nos certo non assentimur, Vale.

De erratione Georgii Pelleterii pueri

XI. Cum homunciones jam propinquarent silvae, ipse prorepsit et stupens et deliberans, si, quae audierat non fuissent formidolosi suppressiones somnii. Et erat ascensurus in currum, ut a Tommio sibi confirmaretur auditorum veritas, sed cum videret eum inter lecti scruta placidissime dormientem, subit ei vanum esse et alienum a consilio illico ei aperire, quae non audisset multoque minus intellexisset. Aliam aggreditur rem. Proslit ad cislam, quae est in angulo, aperit, extrahit veterum chartarum fasciculum, evolvit et ecce flavam mollemque metaxam capillorum, diligenter colligatorum aureo illo filo aciem oculorum fugienti. Et adjacebat scida ephemeridis. Georgiolo in mentem venit, quid facere oporteret: secum auferre res istas, excitare ex somno Tommium, quam fieri posset longissime fugere... Sed matuoriore deliberatione in melius minusque pericolosum adducitur consilium. De quinque diebus convenerat. Quinque diebus diligentius fugam parari posse, quam Deus ipse tam opportune capiendam monstrasset, quamque diva Virgo, sibi duobus propitia, materno praesidio esset adjutura.

Itaque in praesentia satis habet legere attentissime ephemeridem, quam complicata in suo loco reposuit, et recidere de molli coma particulam, particulam etiam aurei quo colligabantur fili. Quo facto remisit omnia in eum locum ubi inventerat, ne qua moveretur suspicio hero, parva illa segmina commisit sacculo vestiaro, festinavit, sicut herus praeceperat, versus torrentem interim mente, ne exciderent, repetens ea quae in ephemeride legerat verba.

Occulta manu, sed certe materna manu, regebantur sortes duorum puerorum firmissimae jam inter se junctorum vinculis amicitiae. Georgius plane cernebat illam manum recogitans, quam mire omnia convenissent ad deprehendendum nefarium scelus in obscuro conceptum, explicatum juxta lectum Tommii placide dormientis, ea ipsa lingua quam intellegereret, et eo in loco, ubi sibi daretur videre et tangere manu res, quibus demonstraretur vera esse, quae postea patefecisset. Ex illis autem verbis, quae in scida ephemeridis attente legerat, priusquam in fasciculo reposuit, non retinuerat quam pauca, quae tamen, ne oblivisceretur accurate in schedula chartacea descripsit. Et haec sunt illa verba, quae libelli italicici scriptor ex ipso foliolo transcripsit: «Lady Hedith M. Campling - 47 - Nelson Street - Watford. - Bobby - un anno, carozzella guidata da Miss Black, giardino della villa Antoine di Avranches - 6 giugno 1928.» Et felicissime haec excepta esse dicenda sunt, nam docent et nomen et habitationem matris Tommii, et Tommum esse Bobby (Robertulum?) suo nomine; hunc unum natum annum ex plostello manuali, quod regeret ancilla, Black nomine, in hortis villa Antoniae urbis Abrincatarum vel Ingenae postridie Nonas Junias anni 1928 surreptum esse.

Et mirabitur fortasse quispiam Georgium non illico secum abstulisse fasciculum et ephemeridem tanta data opportunitate. Et principio quidem etiam Georgio nostro ea mens fuit. Sed tam clare, illa certe ductus manu materna, vidi herum non invento amplius quod tam diligenter occultasset suspiciones alias concepturum, aut

certe diatrum surripuisse eas res Tommum, solum mortalium testem illius colloquii, et miserum etiam verberibus ad confitendum iri compulsum, ut prudentiora illa facere decerneret. Et re vera ille homuncio, cum ad currum revertisset, cum quadam animi sui voluptate aliquamdiu dormientem adhuc Tommum contemplatus est. Deinde se summisit ad illam cistam, quae occultabat, quod ipse etiamtum arbitrabatur suum arcanum, aperto involuero cito lustrat omnia, componit omnia in chartaceo tegmine, nullam suspicatus fraudem cistam claudit, clave alte demissa in saccum vestimenti sui visus est cassis in perpetuum, ne eujusquam oculi aut manus facerent, quod Georgius jam fecerat, neque in posterum facere potuisset.

Et interposito spatio bidui Tommius cum restituta valetudine ex cubili panneo descendisset et cum Georgio progredi coepisset versus silvam, ex ore amici sui Itali audivit unum ex illis verbis quae semel in vita nobis dicta ne centum quidem annis obliscimur: Volo te, Tommi, inquit Georgiolus, mecum hinc aufugere, quia te debo ducere procul, ad mammam tuam. Neque vero res facilis erat aut paucorum verborum explicare totam vim ejus sermonis, ea praesertim lingua, qua sola inter se poterant colloqui. Neque pauca erant quae parvulus ille captivus percontabatur ex suo liberatore, quae sibi ipse quisque facile fingat. Res antequam felicem ad finem duceretur habitura erat tot alias eventuum iniquitates.

Georgiolus amico aperuit consilium fugae, quod totum diem et noctem superiorem meditatus erat. Recordabatur se nonnullis hebdomadis ante vidisse in loco ab vico procul, spatio duarum fere horarum, in loco tristi atque deserto, ingentem struem fascium sarmentorum, opportunissimum latibulum eis qui interdiu se occultare vellent, noctu ut fugerent. Nam semper Georgio nocturna fuga placuit: non nimium fore incommodi in mediis foliis horas traducere diurnas, quibus iis, qui fortasse, ubi fuga sua esset animadversa ad pervestigandum insequerentur, facta deinde nocte se ex suo egressos latibulo perrecturos esse ad aliam terrae partem petentes indicia et adjumenta, dum ad illam tam peregrini nominis venirent civitatem, quod Georgiolus sedulo in suo custodiebat commentariolo, ubi Tommioli sui desiderio langueret amici mamma.

Sed non licuit jam praetermittere rei gerendae opportunitatem. Quinque constituerat Rasputinus, neque Georgiolus audebat amico prodere, quid tot diebus elapsis esset futurum. Et jam tertius dies abierat ut necesse esset forti animo rumpare laqueum, quo alligabantur terribili suae luftuosaeque sorti. Oblata occasio est cum hera, uti solebat, duos pueros jussit excurrere in vicinos agros, ubi raparent praedarenturque, quidquid manibus possent contingere. Illi tum promptiores alacrioresque quam solerent digressi, cum satis jam longinqua casula vehicularia esse videretur, ampla et commoda via publica procedebant ad constitutum a Georgio latibulum. Et jam horulam confecerant, cum ad viae limitem conspicunt columnam ejusmodi, quas christiana pietas figere consuevit in locis vel adversi alicujus casus vel felicis divini auxilii eventus. Ex illa igitur columna pendebat quadrula coctae terrae, in qua depicta erat imago divae Virginis, tum decolor jam et depravata injuria tempestatum, sed in qua conspiciebantur adhuc amica maternae pietatis lineamenta. Georgius cum Tommio accedit, et flexis ante vitem imaginem

genibus, Virginem adfatur simplicibus plenisque fiduciae verbis sic: «Mater caelestis, nemo nos adjuvat; nam qui hic sunt nobis adversantur omnes, et matres nostrae tam sunt longinquaes. Aduja igitur tu nos, sanctissima Virgo, matribus nostris ut feliciter reddamur». Quibus dictis Georgius surrexit, et suspenso summis digitis pede venerandum Virginis vultum osculatus est. Tum Tommum, ut idem Virginis signum daret pietatis de terra sustulit, et procedunt silentio. Paulo post Tommius Georgio: Ain'tu Virginem, quae ei dixisti, audisse? Ego pro certo habeo id quidem, inquit Georgius, nam imagini admovens faciem vidi Virginem caelestem veluti animatam in me defigere oculos.

Quod deinde obtinuit silentium interpellatum est stridore automoli currus, qui parvorum viatorum vestigia superaturus erat. Quod haerentes adhuc in cogitationibus suis parum expedite ad alteram utram discederent partem, rector currum, ne eos oppimeret, celeriter tardat eodemque tempore pueros increpat verbis irritatam sonantibus indignationem. Georgius sane nihil motus est dictis, quorum non esset assecutus sensum, Tommius contra adeo illa oratione est percussus, ut non jam resisteret lacrimis. Et est verisimile Tommum obortis lacrimis patefecisse etiam lassitudinem erarium, nam puer per se gracilis tum etiam magis attenuatis viribus erat recenti eo quod supra diximus incommodo valetudinis. Itaque Georgius blande consolari lacrimantem Tommum, neque dubium quin aliquis ex sua digaria sede animadverterit animum puerorum ex iis quae faciebant eminentem; nam currus, qui qui jam praetervolaverat, constitit, et cum pueri continuato itinere propinquarent, ex finestrella capsula digarii matrona annis jam proiectior et nigra induita ueste manu signum fecit, ut proprius ad se accederent. Res erat paucorum verborum. Comperto fatigatum esse Tommiolum, ad longinquam matrem qui contendebat, capsula panditur ostiolum ab rectore currus, et, qui ante visus esset tam improbus et Tommii movisset lacrimas, jam humanissime pueros sustulit, dum vidit e regione dominae sedentes in culcitris. Claudens deinde ostiolum: Securiores tutioresque, inquit, hic intus eritis, quam in medio viae. Et continuavit machina cursum. Quae etsi non extraordinaria velocitate ferebatur, duobus tamen pueris videbatur volare. Et vix assueverant molli illa commoditate culcitrarum, cum conspexerunt, saltem Georgius conspergit, longe in campo illam sarmendorum pyramidem quae eis pro hospitio esse debebat; sed Georgius non est ausus interpellare matronam, ut ei diceret jam consistendum esse sibi cum fraterculo, ratus insuper esse tutius etiam longius provehi tam celeri vehiculo a persecutoribus, quam subsistere quo illi facilius subsequerentur. Bona matrona interea exquirebat quae solus Tommius, qui solus intelligeret, respondebat. Sic illa cognovit Georgiolum Tommii esse fraterculum, sed quod aegrotaret non loqui. Etiam hoc resciit pergere eos ad matrem suam; hanc habitare in quadam terra, quae, ubi esset, solum Georgium, qui rem in sinu portaret secum, scire. Bene fuit quod illa subsurda erat, aliter certe auditio sermone Tommii tam miro non tenuisset risum. Illa contra severius instare, ubi Georgius vellet ad descendendum subsistere currum. Georgius pro responsione feminae ostendit promptum de sinu commentariolum illum suum et descriptum in charta nomen, quod a puero pronuntiatum non comprehenderat.


ANDREAS HABERL, S. V. D.

VINOS de MISA

J. DE MULLER, S. A.

TARRAGONA

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)
Proveedores de Sus Santidades
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

Garantía de absoluta pureza

EXQUISITA CALIDAD

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

HIJO DE QUINTIN RUIZ DE GAUNA

Velas Litúrgicas para el Culto

Economía increíble usando mis velas especiales con el
CAPITEL GAUNA patentado.

LÁMPARA DE CERA «GAUNA» para alumbrado del Tabernáculo. de cuatro
días de duración. ¡LIMPIEZA ABSOLUTA! ¡TRANQUILIDAD COMPLETA!

V I T O R I A (Alava)

FOTOGRABADOS

M. SOLANO



Aribau, 9, interior - Teléfono, 30255

BARCELONA

Lapiceros Mecánicos y de
cuatro colores
Plumillas oro 14 k.
y chapadas
Fornituras en General

Casa
Teflocan

PLUMAS Estilográficas
Ventas al Mayor
Fontanella, 10, 2.^o, 2.^a
Teléfono 23750
BARCELONA

ENCUADERNACIÓN, EDITORIAL Y PARTICULAR

J. NAVARRO

MATILDE, 7

BARCELONA (G.)

TEL. 78193

En las compras haced referencia a PALAESTRA LATINA

PER ORBEM

Sub hac nostra rubrica pergratum est, lectoribus significare ingenuarum litterarum studium in altis quoque Hispaniae commentariis locum habere amplissimum, illumque in dies magis augeri atque amplificari. In praesentia PALAESTRA LATINA benevole libenterque profert scriptores atque argumentorum scriptiones quae in nobilitata ephemeride *Revista Nacional de Educación*, Dno. Petro Rocamora moderante, de latinis bonisque litteris prodierunt:

1941 (annus primus)

José M. Pabón y Suárez de Urbina: La enseñanza de las lenguas clásicas en Europa. Jan. pag. 43-49.

Dámaso Alonso: Sobre la enseñanza de la Filología española. Febr. pag. 21-39.

Antonio Tovar: Apuntes sobre la filología clásica desde España. Jul. p. 7-16.

Carlos Alonso del Real: Valor político de la enseñanza del latín. Jul. p. 43-50.

Pascual Galindo Romeo: El estudiante según los papiros griegos. Aug. pag. 13-18.

Lorenzo Riber: Aurelio Prudencio en las Aulas Españolas. Aug. pag. 19-24.

Ángel Carrillo de Albornoz: La Moral de Platón en el diálogo «Gorgias». Aug. pag. 75-94.

Arturo María Cayuela: El concepto de la Educación literaria. Sep. p. 27-35.

Antonio Tovar: Preocupaciones sobre la enseñanza Universitaria de la filología clásica. Nov. p. 7-15.

Eleuterio Elerduy: Aristotelismo en la Cultura Occidental. Nov. p. 49-69.

1942

M. José Bavo: Sobre el «Peristeph-

non» de Aurelio Prudencio Clemente. Apr. p. 35-54.

Nicolás González Ruiz: Doctrina de la traducción. Jun. p. 39-46.

Lorenzo Riber: Séneca en el destierro de Córcega. (I) Nov. p. 53-57.

1943

Lorenzo Riber: Séneca en el destierro de Córcega. (II) Apr. pág. 23-28.

José Regino Sánchez: El «Peristephanon» en castellano. Jul. p. 17-21.

Florencio Álvarez: El director del Instituto Nebrija regresa de Roma. Jul. pag. 104-107.

Luis Aranyó Costa: Triptico romano en las cifras de un segundo milenario: Ovidio. Aug. Sept. p. 32-53.

José Rogerio Sánchez: Quintiliano o el buen sentido. Dec. p. 7-31.

Luis Aranyó Costa: Triptico romano, Julio César. Dec. p. 32-73.

1944

Santiago Montero Díaz: Modesto de Gades en la crisis del pensamiento antiguo. Jan. p. 34-47.

Luis Aranyó Costa: Del Renacimiento y de Nebrija. Maj. p. 7-28.

Vicente García de Diego: Nebrija y la latinidad. Maj. p. 29-43.

Miguel Allué Salvador: Vida y Hechos de Nebrija. Maj. p. 44-66.

R. P. Lluís Fullana Mira: La influencia de Nebrija en la Literatura religiosa. Maj. p. 67-81.

A. Ortuz: Un monumento a Nebrija en su ciudad. Maj. p. 82-85.

Los últimos hallazgos sobre la obra literaria de Nebrija. Maj. p. 86-88.

Glosa de la ciudad de Nebrija. Maj. p. 89-90.

J. B.

Sub prelo est liber cui titulus: T. LIVII HISTORIAE SELECTAE (Viñetas de Tito Livio). Speramus fore ut mense decembri lectoribus et Magistris qui illum expostularunt, mittere valeamus.

Exitus CERTAMINIS ad proximum numerum.

CURIOSA ET JOCOSA



94. Heus tu, cibifer, hunc inventi globulum (*botón*) in sorbitione! (*sopa*)

—Gratias tibi plurimas: mane eum quaesivi totum!

E. CASANOVES, C. M. F.

95. Ad quid servit littera *h*?

—Ut ex hujus usu aut neglectu, qui in litteris exculti sunt, cognoscamus.

J. FRANQUESA, C. M. F.

Celsonae

96. Quartum a te poposci ut quinque pesetas, quas commodaveram, redideres mihi.

—At, memento, o bone, quotiens a te postulavi.

97. Dominus: Quare ex interna parte vitra tantum abstersisti?

Famulus: Ex interna tantum, ut tu possis ad viam adspicere; externam vero sordidam reliqui ne pueri domum introspicerent.

F. O.

98. Quod est optimum consilium ad deterendas maculas tapetum?

—Fragmentum recidere inmundum et felem assuefacere ut super illud sedeat.

E GIMENO, C. M. F.

Fasciculi 87, p 100 aenigma extricarunt: Jos. García, Ed. Canals. Jac. Rossich; deverticula vero: Carolus Ariz, Jac. Oliveres, Jesus Andrés.

In aenigmate leges: SUOS PALAESTRA LATINA —LECTORES SALUTAT— HODIE ETIAM ATQUE ETIAM. Deverticuli (85) responsio: vapor-pavor, alterius vero deverticuli (86): terra.

—Vobis, pueri, quibus arrident ludicra hunc verborum lusum propono: ex litteris, quae voces Amen (a-m-e-n), Petrus (P-e-t-r-u-s), ardor (a-r-d-o-r) constituunt, sententiam effingite, cuius prima littera uniuscujusque vocis (hujus sententiae) verbum propositum componere debet: P — ater
e — nixe
t —
r —
u —
s —

INTER AMICOS

99. Joseph: de his tanquam Herodes manus lavo.

—Ut Pilatus, dicas.

—Quidnil nonne Herodes eas lavabat?

FOLIUM DIARIUM LEGENS

100. «Homo quidam, qui in quarta domus incensae contignatione habitabat, per tubum aquae descendens incolmis evasit».

—Huius Macer et gracilis esse debebat... J. SANJERÓNIMO, C. M. F.

Celsonae

101. Audi, Petre, legisti hodie ephe-meridem? Quaestio orientis videtur in dies ingravescere.

—Haec quaestio orientis parum mea refert, at plurimum quae ad meridiem spectat; quia ad mensam quid apponam nescio. J. M. APERTE, C. M. P.

Barbastri

102. Filius: Pater, cur terra continua movetur?

Pater: Te miserum! Jam vinum armarii iterum bibisti?

IGNIARIA TENTATA

Erus mittit famulum ad igniaria emenda. —Sed ne mala sint, ait, ut extrema quae detulisti. —Longo post tempore famulus reddit gaudens. —Profecto, Domine, omnia sunt bona, integrum igniariorum capsulam expertus sum.

J. ASPA, C. M. P.

Barbastri